

radice gracili: flore albo: semine papaveris, maiusculo. Arrhenogonon verò cæterà an-

tedicto simile: semine tantum differt: habet enim racemosum, ei quodammodo simile quod, postquam defloruit olea, primulùm e-  
mergit atque conspicitur. Perhibetur au-  
tem, arrhenogoni potu mares generari: the-  
lygoni verò, fœminas. Hæc memoriæ pro-  
didit Crateuas: quanquam talia mihi vide-  
tur historiatenus, tanquam fama auditio-  
néve accepta, proponere.

*De Orchis seu testiculo.* CAP. CXLI.

**O**RCHIS, quem alijs cynosorchin, quasi canis testiculum, vocant, foliis est circa caulis imam partem in terra stratis, molli- bus, oleo similibus, at longioribus; caule pal- mari, in quo flores purpurascentes emicant: radice bulbosa, oblonga, gemina, angusta, o- liuarum instar: quarum una superior est, al- tera inferior: & hæc quidem plenior ac mol- lior, illa durior ac rugosa. Radix cocta ut bulbus estur. Sed & de his radicibus memo- riæ proditur, si maiorem edant viri, mares generari: si minorem fœminæ, alterum se- xum. Insuper autem proditum est, in Thes- salia mulieres teneram è lacte capriuo pro- pinare ad excitandam libidinem: aridam ve- rò, ad eandem inhibendam: atque ab ynius potu alterius vires exoluji. Nascitur in saxon- iis & fabuletis.

*De Testiculo altero.* CAP. CXLI.

Testiculus alter, quem alij, velut & Andreas, Serapiada vocant, propter radicis multiplicem vsum, foliis est porri, oblongis, at latioribus & pinguibus, ex alarum sinu inflexis: caulinis palmaribus, ac floribus penne purpureis: radix autem subiacet testiculis similis. Hæc imposita, œdemata dissipat, ulceræ repurgat, herpetem fistit: fistulas quoque abolet, & illita, partes inflammatas demulcit. Arida eadem inspersa, nomas cohibet, sanatque putrescentia & cacoëthe oris ulcera. Aluum denique fistit, è vino pota. Sed & de hac radice eadem, quæ de antè memorata testiculi canini radice, narrantur.

*De Satyrio.* CAP. CXLII.

**S**ATYRIVM alijs trifolium vocant, quoniam ut plurimum terna folia in terram conuexa proferat, rumici aut lilio similia, attamen minora atque rubescentia: caulem gerit nudum, cubitalem: florem lilij effigie, candidum: radicem bulbosam, mali magnidine, rufam, intus verò albam, oui instar, sapore dulcem orique gratam. Hanc in vino nigro austero bibere oportet, contra opiflthonō. Ipsa quoque vtere, si cum muliere rem habere volueris. Eam enim etiam ad venereos impetus concitaticem vim habere affirmant.

Aa. ii.

*De Satyrio Erythronio.*

CAP. CXLIV.

Satyrium Erythronium siue erythraeum, semen habet lini similitudine, at maius, firmum, splendens ac laeve: quod fertur etiam non secus atque scincus libidinem excitare. Est verò cortex radicis aliquantum gracilis ac rufus: interna autem pars, alba, sapore dulci, orique grata. In apricis & montosis locis enascitur. Proditur & radix, si modo manu teneatur, Venerem stimulare, eoque magis, si bibatur in vino.

*De Hormino.* CAP. CXLV.

**H**ORMINUM, herba est foliis marrubio similis: caule quadrangulari, semi cubitali, circa quem eminentiae siliquis similes conspicuntur, quae quidem radicem versus spectant, & in quibus semen diuersum recluditur. Siquidem in sylvestri rotundum fuscumque reperitur: at in altero oblongum & nigrius, cuius & usus est. Creditur enim in vino bibitum, etiam Venerem stimulare. Purgat verò cum melle oculorum argema & albugines: illitumque ex aqua, etiam cedemata discutit, & infixos aculeos è corpore extrahit. Sed & imposita herba, hæc eadem præstat. Sylvestre autem magis viribus pollet: quamobrem etiam vnguentis, præstimumque gleucino immiscetur.

*De*

*De Hedyosaro. CAP. CXLVI.*

**H**EDYSARVM, quod vnguentarij pelecinum, id est, securidacam, vocant, frutex est. minutis foliis, ticeri similibus: filiquis verò cornicula referentibus, in quibus semen fuluum, quod anticipem securim simulatur, (vnde & nomen accepit) gustu amarum, stomachoque in potu utile. Additue & in antidota. Cum melle verò subditum, ante coitum spem partus adimere creditur. Cæterum inter triticum & hordea nascitur.

*De Onosmate. CAP. CXLVII.*

**O**NOSMATE alijs osmadem, alijs phlonitum, alijs denique ononim vocant: folia habet ad similitudinem anchusæ, oblonga, mollia, quatuor digitorum longitudine & vnius latitudine, in terra iacentia, denique anchusæ foliis quam simillima. Est autem sine caule, sine semine, sine flore. Radicula verò subest longiuscula, infirma, tenuis, ac modicè rubescens. Gignitur in asperis. Folia in vino pota, partus extrahunt. Sed & prægnans si herbam eam supergrediatur, abortum facere dicitur.

*De Nymphaea. CAP. CXLVIII.*

**N**YMPHAEA in paludibus stagnantiibusque aquis nascitur: folia verò habet Ægyptiacæ fabæ similia, at minora oblongioraque, plura ab una eademque radice  
Aa. iii.

prodeuntia: quorum alia super aquam quodammodo extant, alia in ea ipsa demerguntur, florem album, lilio similem, in quo medium croceum est. At cum defloruerit, calyx rotundus, figura malo-aut papaueris capiti similis, idemque niger, extuberat: in quo semen nigrum, latum, densum, atque gustanti lentum glutinosum recluditur. Caulis est laevis, minimè crassus, niger, Ægyptiæ fabæ cauli similis: radix nigra, scabra, clavæ similis, quæ autumno secatur. Ea sicca cum vino pota, cœliacis ac dysentericis auxiliatur, lienemque consumit. Stomachi quoque ac vesicæ doloribus sedandis ipsa radix imponitur, & alphos ex aqua emendat: alopeciis etiamnum cum pice imposita medetur. Eadem contra Veneris insomnia bibitur, siquidem illa in totum adimit: quin & aliquot diebus continenter epota, genitale ita infirmat, ut arrigi minimè possit. Idem porrò seminis quoque poti effectus est. Cæterum à nymphis nymphæ nomen sibi vendicasse creditur, quoniam loca amet aquosa. Plurima autem inuenitur in Helide, Anygro amne, & in Boeotiaæ Aliarto.

*Ds Nymphaea altera.* CAP. CXLIX.

Est & altera Nymphæa, cuius flos blepharæ dicitur, foliis antedictæ similis: at radice alba fusa & aspera, flore luteo, splendente,  
rosæ

rosæ simili. Radix & semen, ad inhibenda  
fœminarum profluvia efficaciter ex vino ni-  
gro bibuntur. Nascitur autem in Thessalia,  
iuxta Peneum amnem.

*De Androface. CAP. CL.*

**A**NDROSACES in maritimis Syriae na-  
scitur: herba verò est alba, tenuibus cir-  
ris, amara, sine foliis, folliculum habens in  
cacumine, quo semen continetur. Ea drachi-  
mis duabus in vino pota, copiosam hydro-  
picis vrinam ciet. Quin & herbæ decoctum,  
itemque semen largius ex vino potum, et in-  
dèm præbet effectum. Ut iliter quoque poda-  
gricis illinitur.

*De Asplenio. CAP. CLI.*

**A**SPLENON aliqui scolopendrium, alijs  
splenium, alijs hemionion, alijs denique  
pteryga vocant. Foliis est scolopendræ ani-  
mali similibus, pluribus ab una radice, spar-  
sis in ambitum. Nascitur in petris parieti-  
bùsque confectis è calculis silicibusve, iisque  
que opacis. Nec verò caulem, nec florem,  
nec semen habet: folia autem filiculæ modo  
incisuris diuiduntur, subter flauescens hir-  
sutaque, superne verò viridia. Vim hanc ha-  
bet foliorum in aceto decoctum, ut per dies  
xl. potum lienem absumat. Sed & foliis è  
vino tritis lienem illini oportet. Stranguriæ  
quoque, singultui, & regio mørbo subuenit.

Aa. iiiij.